

**DE ROMANI RITUS
HOMINIBUS AD
EVADENDAM
INEUNTIS JEIUNII
QUADRAGESIMALIS...**

Paolo Rulfo



DE ROMANI RITUS HOMINIBUS 31

Ad evadendam ineuntis jejunii quadragesimalis obligationem
Ad loca ambrosiano ritu instituta migrantibus

DISSERTATIO THEOLOGICA,

In qua sic discedentes tanquam rei violatæ legis jejunii gravissimis
argumentis revincuntur,

AUCTORE

PAULO RULFO

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE,

EGUSDEMQUE SACRÆ FACULTATIS PROFESSORE

IN SEMINARIO NOVARIENSI,

Nec non Episcopali Cæremoniarum Magistro
adornata, atque

Illustris., & Reverendis. Domino

D. MARCO AURELIO
BALBIS BERTONE

EPISCOPO NOVARIENSI,

Comiti Ripariæ S. Julii, Gaudiani, & Plebis,
Sorifiquæ Domino &c. &c.



DICATA.

NOVARIÆ MDCCLXVI.

Typis Francisci Cavalli Impressoris Episcopalis.

321-5

THE BOARD OF DIRECTORS OF THE
AMERICAN BANKING ASSOCIATION
HAS ADOPTED THE FOLLOWING
RESOLUTIONS:

ARTICLE I

SECTION 1. The name of the
organization shall be the
American Banking Association.
SECTION 2. The purpose of the
organization shall be to
promote the interests of the
banking industry in the
United States and to
cooperate with the Federal
Reserve Board in the
conduct of its business.

ARTICLE II
MEMBERSHIP

SECTION 1. Any person who
is engaged in the business
of banking in the United
States may become a member
of this association.

SECTION 2. The membership
shall be divided into
classes as follows:

INclyto nomini inscriptam Tuo, Tuisque faustissimis sub auspiciis, PRÆSUL AMPLISSIME, tanquam validissimo instructam præsidio, æquissimis Litteratorum judiciis æstimandam publici juris efficio, Te annuente, exaratam de romani ritus hominibus in fraudem ineuntis jejunii quadragesimalis Mediolanum, aut alium quemcumque in locum ambrosiano ritu institutum divertentibus theologicam Dissertationem. Quam nempe doctrinam superioribus annis qualicumque meæ institutioni commissos Seminarii Novariensis Alumnos edocendam, & publico eorundem periculo, Te Auspice, propugnandam curasti; quam delectis divini verbi Præconibus in locis Diæcesi Mediolanensi conterminis ad cobibendos transfugas solemnè illorum præconio annuntiandam commisisti; quam

quam tum privatis adhortationibus, tum maxime efficacissimis Tuis coram frequenti populo habitis concionibus per Urbem, & per Diæcesim cum ingenti bonorum omnium plausu, parique animarum proventu tradidisti, æquum erat, Te habere vindicem, Te Mæcenatem. Tuam igitur ipse doctrinam, ILL. ME, & REV. ME PRÆSUL, agnosce, postliminio ad Te revertentem complectere, Tuique sperati patrociniū opem longe utilissimam jure quodam suo implorantem consueto benignitatis favore prosequere. Grande erit tenuis licet operæ pretium, si Te habuerit suæ tenuitatis Patronum; quem nempe ad pascendum Dei gregem divina ordinatione constitutum Novariensis Ecclesia lætabunda veneratur, ac suspicit tanquam decus Antistitum, Sacerdotalis Ordinis ornamentum, in doctrina sana irreprehensibilem fidei, & morum Magistrum, omnium, quæ decent Pontificem, virtutum comitatu formam gregis ex animo, sanctioris doctrinæ, & disciplinæ propugnatorem, & restauratorem acerrimum, veritatis, & virtutis singulare præsidium. Hoc igitur etiam atque etiam efflagitans me Tibi multiplici titulo obstrictissimum plane devoveo (quod vehementer optaveram) in perennis obsequii argumentum.

Dominationis Tuæ Illustris., & Reverendis.

Humillimus, Addictissimus, atque Obsequentissimus servus
PAULUS RULFUS.

DE ROMANI RITUS HOMINIBUS

*Ad evadendam ineuntis jejunii quadragesimalis
obligationem ad loca ambrosiano ritu
instituta migrantibus.*

DISSERTATIO THEOLOGICA,

*In qua sic discedentes tanquam rei violatæ legis
jejunii gravissimis argumentis revincuntur.*

INeunte bacchanalium tempore quam maxime opportunam de illis agendi occasionem nanciscor, qui seu postremis ipsorum bacchanaliorum, seu primis Quadragesimæ diebus Mediolanum, aut alium quemcumque in locum ritu ambrosiano institutum se conferunt, ut primis ipsis diebus salutaris observantiæ quadragesimalis obligationem declinent, eoque profecti vescantur carnibus, jejuniis posthabito. Post exaratum superiori anno in Novariensi nostro Calendario Casum Parochorum discussioni propositum, in quo de romani ritus hominibus eum finem Mediolanum divertentibus quærebatur, eam in rem prodierunt præstanti eruditione refertæ dissertationes geminæ typis publicis consignatæ, quibus & hominum ita in fraudem discedentium condemnatur abusus, & argumenta anonymi cujusdam Scriptoris in contrarium opinantis, atque epistolarem egregii Mediolanensis Provinciæ Parochi admonitionem adversus sic discedentes jam antea proditam subinfenso calamo retellentis efficacissime confutantur. Hunc ipsum in finem, ex speciali dignationis effectu demandante mihi Amplissimo, atque præcellentissimo Antistite nostro singulari studio meorum Patrono, hæc, quæ sequuntur, argumenta contuleram, quibus, more jam recepto, Parochis post agitatam in consuetis congregationibus controversiam responsio foret. Quia vero ultra præscripta in simplicibus casuum resolutionibus brevitatis confinia, & ultra consuetam eorumdem rationem abiisse videbatur oratio, optimum factu visum est, si hanc ipsam responsionem a reliquis casuum resolutionibus jam satis prolixis refecatam in unam Dissertationem seorsim Parochis transmittendam conferrem. Hæc igitur cum ita sint, nemini jure improbandam esse arbitror hanc meam scribendi rationem, qui & finem, & ipsam scribendi occasionem perspexerit, & omnia præsertim argumenta animo præjudicii vacuo exploraverit, quæ eo consilio huc in unum conferre curavi, ut nempe

pe sic discedentes pessime sibi consulere, & contra sanctam jejunii legem lethali flagitio delinquere, ingenuo cuique pateat.

- I. Atque ut ea primo loco argumenta ponantur, quæ generaliora sunt, hac primum ratione differendum esse videtur. In legem peccat quisquis ex unico, aut certe primario sine declinandæ legis in patria vigentis e territorio egreditur, eamque egressus non servat. Atqui ille, de quo in casu res est, ex tali sine declinandæ legis jejunii in patria vigentis egreditur, eamque egressus non servat. Ergo ille in legem jejunii peccat. Minor propositio calum ipsum complectitur; ita ut majori tantum propositioni aliqua subesse dubitatio valeat; quam tamen suadent intrinseca, & extrinseca validissima argumenta. Ille nimirum contra legem peccat, qui per fraudem conatur se se subducere de obligatione legis, quam interea non servat. Leges enim, atque legislatores, probante etiam communi jure, sic in fraudem agentes perpetuo comprehendere, atque obstringere censentur, ne sic passim eludendæ legis concedatur occasio cum magna bonorum omnium offensione, & publicæ felicitatis detrimento, quæ ex uniformi legum custodia efflorescit. Sane quisquis in alterum fraudibus utitur, adversus ipsum delinquit, ut ex generalibus notionibus satis constat. Qui igitur contra legem fraudulentus operatur, in legem eo ipso peccare convincitur. Neque vero ea de re dubitate nos sinit auctoritas Canonici Juris cap. xv., & xvi. de Rescriptis expresse decernentis, quod *Fraus, & dolus alicui patrocinari non debent*; quæ tamen secus dolosis, & fraudulentis contra legem jam non peccantibus, nec legis poenam ferentibus vel maximum patrocinium præberent. Consentit Glossa in cap. *Quanto de privil.*, & excessi. privileg. v. *in fraudem*, ibi: *Qui facit in fraudem legis, contra ipsam legem videtur facere.*

Jam vero qui ex præiatio sine declinandæ legis territorio egreditur, per fraudem conatur se se subducere de obligatione legis I. quia nulla unquam tradi poterit notio fraudis in legem factæ, quæ hunc præcipue calum non complectatur; II. quia S. Card. Congreg. in declaratione anni MDCXXVII. ad Archiepiscopum Coloniensem directa, atque Urbani VIII. auctoritate firmata fraudem agnoscit contra legem in discedentibus e loco promulgati Concilii Tridentini eo animo, ut legem requirentem præsentiam Parochi, & testium in matrimonio fugiant, declarans, non esse legitimum matrimonium inter sic contrahentes *cum fraude*; III. quia similem prorsus detegit fraudem Clemens X. sua Constit. *Superna* in illis, qui e suæ diœcesi discesserint, ut commissi peccati reservationem fugiant, ibi: *Nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse*; quo pertinent aliæ hujusmodi Card. declarationes relatæ a Ben. XIV. de Syn. diœc. lib. xiiii., de quo infra; IV. quia hæc est expressa declaratio legis xxx. ff. de legibus, ibi: *Fraus legis fit,*

fit, ubi quod juxta præsumtam legislatoris voluntatem fieri noluit, cujusmodi est studiose, & citra causam fugiendo legem eludere; fieri autem expresse non vetuit, id fit. Cui consimilis est lex XIX. immediate præcedens: *Contra legem facit, qui facit, quod lex prohibet; in fraudem vero, qui, salvis verbis legis, sententiam ejus circumvenit.* Unde hanc fraudem ex præcitatâ documentis deducens Benedictus Papa XIV. lib. XIII. de Syn. diœc. cap. 4. hinc manifestum esse docet, *eam fraudem vere ab illo committi, qui solo animo legem eludendi e loco se proripit, ubi illa viget.*

Sane prudentes legislatores suæ legi, & per ipsam communi bono consulere, volentes eum etiam casum sub ipsa lege comprehendere jure censentur, quo minime comprehenso, lex ipsa facile eluditur; cujusmodi esset prædicta studiosa discessio, per quam propterea legis vinculum evadere nequeunt sic discedentes.

Atque hoc quidem generale principium est, cui tametsi refragentur pauci quidam intemperanti probabilitatis amore seducti, atque relatis Urbanis, & Clementis declarationibus anteriores, quibus res hæc maxime eliquata fuisse videtur, universim jam tamen communibus suffragiis adtipulantur auctores Theologi; ita ut vix, & ne vix quidem tenui probabilitate adversa opinio esse possit innixa. Nimis enim multam facturum me esse arbitrarer operæ jacturam, si eorum omnium, qui in sententiam hujusmodi concesserunt, earumque validis rationibus confirmarunt, texendus esset elenchus a quolibet facile instituendus. Quippe non tantum sanioris, sed & indulgentioris doctrinæ patroni subditum solo declinandæ legis animo discedentem legis vinculum secum ferre defendunt veluti Laym. Theol. Moral. lib. I. tract. IV. cap. XI. n. 9., Reif. tract. II. de Leg. dist. III. q. 4., Felix Pot. Tom. I. par. III. n. 2903., Vasq. in III. p. q. LXXXVIII. art. 2. Less. I. IV. cap. II. dub. 8., alique passim, quos jam sequuntur gravissimi quique ætatis nostræ Theologi in præfata laudati superius Patrochi lubricatione fuscè relati.

Doctrinæ hæctenus propugnatae vim addit maximam Benedictus Papa XIV., qui cit. lib. XIII. de Synod. diœc. cap. 4., cum docuisset, juxta communem sententiam extra diœcesim cessare obligationem legis in eadem diœcesi vigentis, doctrinam hanc nostram gravissimo suo calculo confirmat, ac probat in hæc verba: *Verum prædicta communis assertio limitanda est in illo, qui e diœcesi egreditur solo animo declinandi Synodalis Statuti obligationem. Quamvis enim nonnulli Doctores etiam hunc a Statuti vinculo solutum arbitrentur, melius tamen eum in legis fraudem discedentem legis vinculum secum ferre, eoque constructum manere defendunt &c.... Neque hodie fas esse videtur ab hac sententia recedere.*

Præfata doctrinam sapientissimus Pontifex ex Angelico præsertim Doctore hausisse videtur, qui 2. 2. q. cXLVIII. art. IV. ad 3. sic habet: *Si peregrinatio..*

natio.... commode differri possit... non sunt propter hoc Ecclesie jejunia prætermittenda. Huc etiam pertinet Glossa in relat. superius cap. *Quanto: Qui facit in fraudem legis, contra ipsam legem vaetur facere.* Quibus facta a nonnennine frigida nimis exceptio inde petita, quod verbum videtur quandam magis animi propensionem, quam certam auctoris sententiam prodari, hæc una animadversione retunditur, quod quisquis ea ratione respondet, proprium ea de re mentis iudicium, sive quid sibi sentiendum, ac tenendum esse videatur, omnibus hiuc inde exploratis, censetur exprimere. Præclare Fagnanus in cap. *Cum virum* de Regularibus num. xxxi. ibi: *Doctör respondens per verbum videtur intelligitur de jure respondere.* Constat igitur omnino gravissimis intrinsicis, & extrinsecis rationum momentis, cum qui solo animo declinandæ legis, proindeque etiam vitandi jejunii in proprio territorio vigentis egreditur, tanquam fraudulentum, in ipsam legem delinquere; quæ propterea si graviter obliget, cujusmodi lex est jejunii, gravis peccati reum sic discedentem constituit. Jure igitur optimo in romani ritus homines sic discedentes quadrare videntur verba Proverb. 111. *Abominatio Domini est omnis illusor. . . . Ipse deludet illufores.*

- II. Nec minus invictum præbent argumentum in similibus factæ pontificiæ declarationes, atque constitutiones. Constat enim ex relata superius notissima S. Congregat. declaratione Urbani VIII. auctoritate firmata, sponso ex loco promulgati Tridentini Concilii discedentes, ut legem fugiant exigentem præsentiam Parochi, & testium in matrimonio contrahendo, invalide matrimonium contrahere. Constat pariter ex citata Clementis X. Constit. *Superna*, poenitentes in fraudem reservationis ad aliam diæce sim migrantes contra ipsam reservationis legem delinquere, eoque nomine tanquam indispositos absolvendos non esse. Hæc autem omnia quid aliud tandem probant, nisi alicujus territorii, aut diæcesis incolam ex prædicto sine declinandæ legis discedentem, eamque minime observantem in legem ipsam delinquere, quod unice relate ad incolam regionum finitimarum Mediolanum, aut alium quemcumque in locum ambrosiano ritu institutum se conferentem ad evitandam legis jejunii obligationem hæc mea Dissertatio contendit? Scilicet, ut advertit cit. loc. Benedictus XIV., Summis Pontificibus non fuit in animo ibi *novam rogare legem, sed præexistentem explicare.* Explicatio autem in uno casu facta in altero pariter, si omnia sint paria, eadem esse debet. Præclare Fagnanus in cap. *In præsentia* de probat. n. 64. ibi: *Cum fraus prohibita sit de jure naturæ, quidquid ratione fraudis prohibetur, tanquam jus naturale de similibus ad similia extenditur; l. 1. & l. ult. ff. si quid in fraudem &c.* Edisserant nobis igitur plausibilem aliquam differentiæ rationem inter legem matrimonii solemnitatem præscribentem, casus reservantem, aut jejunium præcipientem

tem, ita ut duplicis prioris legis vitandæ siue fugientes peccent, neque ipsi suffragetur fuga; non autem posterioris jejunii legis eludendæ studio discedentes; si præterea reluctari pergant bacchanaliorum patroni.

III. Tertium depromitur rationis momentum ex auctoritate Episcoporum, atque Ecclesiarum Pastorum, qui a Spiritu Sancto constituti regere Ecclesiam Dei pro subditis sibi populis pervigilant quasi rationem pro ipsorum animabus reddituri, quos qui audit, Deum ipsum, cujus legatione funguntur, audire censetur. De hoc autem sane gravissimo auctoritatis momento hic plura non dissero, cum de ipso inferius rediturus sit sermo sub num. VI., ubi de ipsis Ecclesiarum Pastoribus adversus objici solitam in contrarium consuetudinem reclamantibus paullo fufius agendum erit.

IV. Sed & tertium instruitur argumentum inde petatum, quod boni omnes nefas esse consentiant citra causam se se in iis circumstantiis constituere, in quibus lex alioquin obligatura non esset. Neque enim immunis esset criminis, qui illicito, aut certe inutili labore, aut itinere sese ad jejunium, aut aliam quamlibet legem servandam impotentem redderet, aut, nulla urgente causa, quodlibet ejus observantia impedimentum apponeret, quemadmodum superius allata Angelici Præceptoris auctoritas, bonorum omnium sensus, & recta ratio pervincit. Unde sub num. xxxi. eam proscriptit Alexander VII. laxiorum quorundam propositionem: *Excusantur absolute a præcepto jejunii quicumque iter agunt equitando; utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.* Hæc autem est in casu discedentis conditio; utpote qui citra causam competentem discedere supponatur; qui propterea licet alioquin futurus esset immunis lege jejunii, cum tamen voluntatem gerat legis citra causam declinandæ, & eludendæ, in legem peccare eo ipso convincitur.

V. Postremum superest irrefragabile argumentum adversus omnes præsertim Provinciæ Mediolanensis incolas efficacissimum, atque ex auctoritate petatum Concilii Provincialis Mediolanensis I. cap. *de jejunio*, in quo D. Carolus Borromæus occidentalis, immo & universalis Ecclesiæ decus cum Provincialibus Episcopis legitime congregatus expressis adeo verbis illis etiam temporibus invecram consuetudinem, seu potius corruptelam infestatur, ac damnat, ut omnem veritatis sensum posuisse dicendus sit, qui non illam omnino prohibitam, & condemnatam agnoscat. Ibi enim, plaudentibus, & probantibus universæ Mediolanensis Provinciæ Patribus, & Pastoribus, sic loquitur: *Illorum vero damnasam ingluviem, qui primis quinque Quadragesimæ diebus Romanæ Ecclesiæ more institutis Mediolanum se conferunt patriæ ritam in jejunio, & ciborum abstinentia fugientes.* Neque enim vim condemnationis infringere, aut pessimæ causæ vel minimum suffragium conciliare poterit consueta multorum, præsertim vero anonymi superius citati Scriptoris intulsa nimis animadversio, qua-

ca tantum damnari perhibetur *ingluvies*, per quam sic discedentes plus æquo se cibis ingurgitent, aut certe nimio edacitatis studio serantur in sola ciborum non qualitate, sed quantitate, aut nimia aviditate peccantes, quemadmodum ipsis juxta vim nominis sonare videtur *ingluvies*. Nam I. Mediolanum se conferentium damnatur *ingluvies*, non Mediolanensium, qui tamen æque possunt in ciborum quantitate, nimiaque eorundem aviditate delinquere. II. Non alio tempore, sed primis illis Quadragesimæ diebus a Concilii Patribus damnatur *ingluvies*, quæ propterea alia esse nequit, quam quæ contraria est diebus ipsis ciborum qualitatem, & refectioinum multipliciter prohibentibus. III. Quantitatis, atque aviditatis excessus æqualiter est ubique culpandus, nec proinde Mediolani in alienigenis peculiariter erat reprehendendus. IV. Nec plane alienigenæ Mediolanum migrare solent ex magno quodam edacitatis amore, aut ut ibi se cibis ingurgitent; sed ut consueta captantes solatia simpliciter velcantur carnibus; atque adeo hoc ipsum damnatur a Patribus consuetam agendi rationem condemnantibus. V. Capituli titulus inscribitur *de jejunio*. Ergo saltem præcipue illa damnatur *ingluvies*, quæ est jejunio contraria, cujusmodi est, quæ ciborum qualitatem, & refectioinis unitatem non servat. VI. Eiusdem capituli series titulo consentiens non alia damnat, ac reprobat vitia, quam jejunio contraria, ut legenti patebit, neque aliud propterea immiseri debuit vitium titulo, complexui, atque proposito extraneum. VII. Sane *ingluvies* juxta vim nominis, quam post Calepinum suppeditat probatum quodlibet lexicon, quamque arbitraria nimis explicandi ratione pauci quidam pervertere adnituntur, idem etiam cum *gula* significat, qua non tantum ciborum aviditate, & quantitate; verum etiam qualitate, & refectioinum multiplicitate peccamus. VIII. Quænam ea de sententia fuerit Divi Caroli Borromæi satis etiam constare potest ex ejusdem Diœcesana Synodo IV. Decr. II., ubi persimilem agendi rationem prohibet in hæc verba: *Qui in ea Parochia habitant, si illo festo die ad opus faciendum alio dolose, in fraudemve abierint, eos graviter Parochus arguat*. Qui nempe non utcumque, sed *graviter* arguendos esse censet eos, qui ad declinandam diei festi obligationem paræciæ finibus egrediuntur, quomodo non item *graviter* eos censet esse reprehendendos, qui ad evadendam jejunii legem territorii consinio excesserint, cum omnia prorsus utrobique sint paria? IX. Quid multa? Luce meridiana clarius exposuit Sanctus Antistes, & cum ipso exposuerunt comprovinciales Episcopi, eam damnari *ingluviem*, qua multi *patriæ ritum in jejunio, & ciborum abstinentiæ* fugiebant. Nec mirum si non fugam, ut iterum animadvertit Scripator anonymus, sed fugientium *ingluviem* damnaverit, cum non ipsa per se fuga sit mala, sed malus animus fugam concomitans, atque ad eam *ingluviem* adducens, qua *patriæ ritum in jejunio, & ciborum abstinentiæ* declina-

clinatur. Unus itaque tuendæ libertatis amor, five immodica in rebus ad mores pertinentibus opinandi libertas in caussa esse potuit, cur tot inter veritatis lumina pauci quidam in scædam illam prolapsionem devenerint, qua scilicet praxim, quam impugnamus, vitio tribuendam non esse asseruerint.

Hæc igitur cum ita per se se evidentia sint, ut nullam penitus exceptionem patiantur, & quemlibet percipere volentem propria ipsorum perspicuitate facile persuadeant, ea omnia hoc loco prætermittenda esse videntur argumenta, quæ ab aliis petuntur ex rei insolentia, five ex ipsa declinandi sic jejunii consuetudine omnibus retro populis Deum timentibus five in Evangelicæ, five in Mosaycæ Legis statu in rebus similibus ignorata; ex pravitate, & turpitudine finis; ex spiritu intemperantiæ, comestationis, ebrietatis, & voluptatis, de quibus scriptum est, *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*; atque ex aliis hujusmodi fontibus. Hæc enim ultra proferens testes adducere in re jam satis probata minime necessarios. Sattius ergo fuerit certa quædam præcipua excusationum capita, quibus se transfugæ tueri conantur, paucis excludere.

VI. Atque ut rem ipsam aggrediar, quod ex recepta sic fugiendi consuetudine repeti solet, innumeris aberrationibus obnoxium esse convincitur. Primo etenim generatim repeti solita ex multorum contra legem agentium praxi excusatio per quam sæpissime eam alleganti minime suffragatur. Tam multas enim consuetudo, ut legitima censeatur, conditiones postulat, ut difficillime simul omnes confluant, & contra legem agentem innoxium reddant, quemadmodum ipsas singillatim perpendenti patebit. Hinc illud Spiritus Sancti oraculum Sapient. v. *Convalescente iniqua consuetudine, error tamquam lex custoditus est*. Hinc etiam illud Augustini lib. de fide, spe, & charitate. *Frustra quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis obijciunt; quasi consuetudo major sit veritate. In Evangelio Dominus ait: Ego sum veritas. Non dixit: Ego sum consuetudo. Iraque cedat consuetudo veritati.*

Secundo. Revera hæc ipsa, de qua res est, qualicumque praxis ipsius Divi Caroli ætate vigeat; nec tamen officere potuit quominus sic discedentes, eorumque in fugiendo patriæ ritu ingluviem damnaverint sup. cit. Conc. Patres.

Tertio. Et sane quam multa sunt, quæ prætatam agendi rationem ad abusum, & corruptelas ablegandam esse demonstrant? In primis enim legitima consuetudo requirit, ut sit rationabilis, seu tam rationabili sic agendi rationi innixa, ut ad dispensationem prudenter, ac licito concedendam, aut ad legem abrogandam legislatorem posset inducere; cap. ult. de consuetudine, ibi: *Licet etiam longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas; non tamen est usque adeo valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis.* Quæ nam autem talis, ac tanta fingi

potest causa in regionum finitimarum incolis seu Mediolanum, seu ad alia quælibet loca ambrosiano ritu instituta turmatim confluentibus, ut prudens, ac licita ipsis concedi posset dispensatio, cum non alia, quam carnibus vescendi, aut solatiis indulgendi causa recurrere supponatur. Confugiant ad Ecclesiarum Antistites, aut supremum animarum Pastorem incolæ regionum finitimarum dispensationem postulantes ea tantum de causa, ut nempe carnibus vescantur, vel consuets solatiis indulgeant; & facili experimento percipient, utrum rationabilis, an potius illutoria censenda sit causa. Quanquam nullo opus esse videtur experimento; ex quo hanc agendi rationem fraudulentam esse probavimus sub num. I., fraudem vero rationabilem esse repugnat. Si vero toties improbatam fugiendi praxim irrationabilem pervicacius quispiam nec dum fateri voluerit, illam saltem a Prosp. Fagnano inter Canonitas celeberrimo condemnatam agnoscat in cap. *Explicari* de observ. jejun. num. xxix. in hæc verba; *Consuetudo, ut sit valida, debet esse inducta ex honesta, & rationabili causa; non autem, ut homines intendant ventri, & gaudiis temporalibus.*

Quarto. Rursus non aliter patrocinari posse intelligitur utcumque inveterata contra legem consuetudo, quam si penes majorem simul, & meliorem communitatis partem sit recepta. Non enim aliter per consuetudinem induci, aut abrogari possunt humanæ leges, quam si perfectæ communitatis in consuetudinem conspirantis consensus accesserit; cum inducendæ, aut delendæ legis ratio omnibus notissima soli possit perfectæ communitati competere; quam tamen non nisi major, & melior, nusquam vero minor, aut certe deterior ejusdem pars repræsentat. Nimis autem multam finitimarum regionum communitatibus injuriam irrogaret, ac nimiam ipsius praxis imperitiam proderet, qui majorem simul, ac meliorem eandem partem Mediolanum, aut alia in loca mediolanensî ritu instituta quotannis migrare contenderet; in quo quidem bonorum, ac vere Deum timentium, propriamque salutem cum Dei timore operantium hominum tum utriusque Cleri, tum etiam laicorum testimoniis facile revinceretur.

Quinto. Consuetudo non aliter contra legem prævalere posse intelligitur, quam si inducatur cum notitia ipsius legis, & animo ejusdem abolendæ. Voluntas enim in incognitum ferri nequit, & nihil magis contrarium consensui, quam error; actus insuper non valent ultra intentionem agentium, ut cum naturali ratione jura loquuntur. Plerosque autem discedere consuevisse cum ignorantia extantis in contrarium legis, & prohibitionis, adeoque sine animo ejusdem abolendæ, res est omnibus exploratissima.

Sexto. Item postulat consuetudo legitima, ut expresso, aut saltem tacito, vel juridico, seu legali saltem per silentium, & taciturnitatem manifestato superiorum consensu firmetur. Leges enim per superioris consensum constituntur, & abrogantur; & omnis res per quascumque causas nascitur,

per

per easdem dissolvitur; cap. 1. de reg. juris. At vero multum abfuit, ut eam unquam consuetudinem probaverint Ecclesiarum Pastores, cum potius illam diœcesanis constitutionibus, pastoralibus monitionibus, aliisque contrariis documentis delendam, atq; eradicandam curaverint. Illam etenim condemnare censetur Innoc. III. cit. sæpius cap. xv., & xvi. de Rescriptis expresse decernens, quod *fraus, & dolus non debent alicui patrocinari*. Illam reprobant cum D. Carolo Mediolanensis Concilii Patres illorum, ut vidimus, damnantes ingluviem, qui sic patriæ ritum in jejunio, & ciborum abinentia fugerent. Eandem nominatim proscribit Synodus Bergomensis anni MDCXXVIII. p. 1. tit. 7. ibi: *Admoneant Parochi christianum hominem parum admodum redolere, qui sub initium quadragesimalis jejunii more romano instituti, ut gulæ morem faciat ad Ambrosianæ Diœcesis loca carne, cæterisque hujusmodi cibis ad usque primam Quadragesimæ Dominicam vesciturus commigrat; curentque, quoad poterunt, omnes ab hujusmodi intemperantia removere*. Eandem rursus jam pridem improbasse, & etiamnum improbare censetur Ecclesia Novocomenfis, in qua sanctis quadragesimale jejunium die Cinerum inchoandum, atque ab omnibus districtè custodiendum esse denunciatur, qualibet improbata in contrarium consuetudine. Quid hac de re sentiat Eminentiss. Puteobœelli Mediolanensis Ecclesiæ Archipræsul fatis constat ex ejusdem Pastoralis xxvi. Aprilis MDCCLIV. de observantia Rogationum, in qua aperte testatur, non sine animi dolore cernere se lugendam multorum corruptelam huic nostræ persimilem, qui ipsarum Rogationum observantiam studiose effugere, atque in loca jejunii observatione immunia declinare satagunt.

Quam vero in hoc eodem negotio mens, & sententia fuerit ejusdem Archipræsulis Antecessorum colligi potest ex subtracto ambrosiano ritu, & privilegio duabus Mediolanensis Diœcesis parœciis Casalensi conterminis Frassineto, & Valmacchæ, quo turmatim, ut assolet, declinare consueverant incolæ regionum finitimarum; quam fuisse partialem saltem causam subtracti ambrosiani, inductique (exceptis quibusdam capitibus) romani ritus ex privato populorum placito minime dependens, omnino proum est credere, sicut nec pauci, nec imperiti testantur.

Atque ut proximiora, & prorsus indubitata Pastorum damnabili corruptelæ obsistentium argumenta proferantur, pessimam consuetudinem nimio scandalo inualescentem in ipsis primordiis faustissimi sui Viglevanensis Ecclesiæ regiminis pastoralis pro religioso suo animarum zelo eradicandam curavit, magnaq; ex parte abolevit vigilantissimus ejusdem Ecclesiæ Præsul Franciscus Maria Joseph Scarampi. Ipse enim anno MDCCLVII., instante Quadragesima, ad optimam Viglevanensis Cleri institutionem edictum promulgavit, in quo tum alia multa juxta normam sacrorum canonum, & conciliorum sancivit, atque prohibuit; tum præsertim universos, & singulos

gulos clericos, (quorum hic una, eademque est causa cum laicis, ex quo nulla peculiaris prohibitio viget in clericis) efficacissimis verbis hortatus est ne de cætero primis ipsis Quadragesimæ diebus carnibus vescendi causa in loca finitima ambrosiano ritu instituta diverterent, sperare se asserens, fore, ut laici clericorum abinentia ædificati hujusmodi abusum (non praxim indifferentem) paulatim derelinquerent; addens, confidere se, obedientiam (quæ præceptum supponit) sibi esse exhibendam absque eo, quod ad ulteriora procederet. Quo quidem pacto & propriam ea de re animi sententiam privatis etiam sermonibus crebro manifestatam satis declaravit; & Ecclesiasticos præsertim magna cum laicorum ædificatione, & majori in posterum eorundem progressu ab antiquata sic discedendi multorum consuetudine constanter, atque stabiliter revocavit; & præclarum aliis diæcesibus, quod imitentur, exemplum præbuit.

Præ cæteris autem sedulam, atque utilissimam eam in rem navavit operam religiosissimus, atque omnigena eruditione clarissimus Novariensis hujusce nostræ Diæcesis Antistes Marcus Aurelius Balbis Bertone, cujus sapientissimis institutis, atque indefessis episcopalis curæ laboribus feliciter adeo gubernamur, & regimur. Ipse enim tum efficacissimis suis coram frequenti populo divinorum causa congregato concionibus ea de re non semel habitis per Urbem, & per Diæcesim quanto maxime valet pastorali zelo, gravissimoque rationum pondere hanc ipsam consuetudinem improbavit, vituperavit, condemnavit; tum privatis admonitionibus alias discedere solitos consueta persuadendi facilitate, propriaque ipse auctoritate compescuit, tum per designatos divini verbi Concionatores corruptelam non ferendam, e propriæ Diæcesis finibus eliminandam curavit, & maxima ex parte eliminavit; tum hanc ipsam doctrinam a me ipso in Seminario Urbano Theologiæ Moralis Alumnis superioribus annis traditam probavit, eamque solemniter eorumdem periculo propriis sub auspiciis, publicisque thesibus folepugnandam curavit; tum denique Parochis transmissa ad Calendarii casum hac de re consulto propositum responsione, atque hac ipsa qualicumque mea Dissertatione, ipso jubente, adornata propria ea de re mentem, animique sententiam dilectissimo Diæcesis suæ Clero, & populo universo, tanquam peculiari, atque efficaciori pastoralis admonitione, ulterius significare intendit, ac palam facere.

Hucusque productis Episcoporum pessimam corruptelam condemnantium monumentis operæ pretium facturum, & magnum Dissertationi pondus allaturum me esse arbitror, si fere unanimem contra eandem praxim amplissimæ hujus Diæcesis Novariensis quadringentorum circiter Parochorum consensionem addidero consuetis proditam eorumdem responsionibus ad Casum ea de re in ipsorum Congregationibus anno elapso propositum. In illis enim ad Episcopalem Secretariam mox transmissis, & magna cum
ani-

animi jucunditate a me pervolutis, paucis duntaxat exceptis, collatis veluti manibus, multiplici eruditione, & juxta gravissimis rationum momentis sic discedentes gravis culpæ, fractique jejunii condemnantur, atque a multis in contrarium cavillationibus veritas strenue vindicatur.

VII. Hinc facile corrui quod ex multorum Ecclesiarum Pastorum, ipsorumque Pontificum Maximorum silentio a quibusdam eruitur contrarium argumentum. Primo enim corructe solent negativa argumenta, quibus positiva adversantur.

Secundo. Quam multa passim deprehenduntur vitia, quæ nullo superiorum silentio probari censentur! Id autem in casu hoc nostro vim suam exere conitat, tum quia non omnes eo tempore Mediolanum divertentes in fraudem jejunii eo se conferunt, non paucis, nec facile distinguendis propter instantem necessitatem migrantibus; tum etiam quia superiores non omnia malefacta prosequuntur poenis, sed ea ferme tantum, quæ Reipublicæ felicitati adversantur. Celebre est illud Ovidii:

Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat

Jupiter, exiguo tempore inermis erit.

Tertio. Ex alio multiplici, quam probandæ consuetudinis sine prodire silentium potuit, veluti ex sufficienti jam facta prohibitione sive a Provinciali Concilio, atque ab universis in eo congregatis Provinciæ Pastoribus, sive a communi jure omnem fraudem, & dolum reprobante, & condemnante; ex insperata emendatione, aut progressu; ex animo rebus gravioribus occupato; ne dicam ex incogitantia, inadvertentia, aliisque hujusmodi causis. Summi vero Pontifices tum fraudem maxime in hac praxi vigentem nemini suffragari posse decernunt, ut Innocentius III.; tum in similibus casibus discedentes in legem peccare, ejusque obligatione adstrictos manere declarant, ut relati superius Urbanus VIII., & Clemens X.; tum subditum solo animo declinandæ legis e diæcesi egredientem legis vinculum secum ferre universim docent, ut Benedictus XIV. supra citatus. Aliunde vero privatas regionum corruptelas per quam frequenter ignorant; easdem insuper, si quæ sint, singularum Ecclesiarum Pastoribus corrigendas relinquunt.

Quarto. Re quidem vera hanc agendi rationem, quam & fraudulentam, & irrationabilem esse probavimus, nullum unquam cohonestare silentium poterit; nisi fortassis fraudes silentio cohonestari posse dicantur.

Quinto. Silentibus, si qui sint, aut fuerint, quibusdam Præsulibus opponimus loquentes, totisque Sacerdotalis animi viribus in contrarium obstinentes Ecclesiarum Pastores, quorum specimen paulo ante exhibuimus; imprimisque laudatam sapienter Concilii dispositionem meridiano sole clariorrem, eam praxim condemnantem, atque universam Provinciam obstrin-

gen-

gentem opponimus; nec non communis juris dispositionem nulla, ut vidimus, contraria consuetudine extinctam, quæ perpetuo clamavit, & clamat: *Fraus, & dolus non debent alicui patrocinari.*

Sexto. Huc facit thesis proscripta a Gallicano Clero in Generalibus Comitibus anni MDCC. congregato. *Non sunt scandalosæ, aut erroneæ opiniones, quas Ecclesia non corrigit.* Huc omnia argumenta, quibus consimilis multorum hallucinatio in solutione Casus VIII. currentis anni sub num. I. labefactata est.

VIII. Quod vero ex generali principio colligitur, quo edocemur, vigentis in aliquo, aut multiplici territorio leges ejusdem finibus egressos non obstringere, cap. fin. de Constit. in 6.; cujusvis Ecclesiæ, ad quamcumque aliquis forte devenierit, consuetudinem servandam esse, romanoque more Romæ, alio vero alibi esse vivendum; ac nemini injuriam, vel fraudem facere, qui suo utitur jure discedendi, aut permnendi; ad rem non est. Illud enim in subdito solo animo declinandæ legis, five in fraudem discedente limitandum esse, sub num. I. gravissimis, ni fallor, intrinsicis, atque extrinsicis argumentis comprobatum est. Neque enim Divus Ambrosius, qui jejunabat, aut non jejunabat pro varietate locorum, in quibus existeret, ex animo declinandæ legis, sed plane gravissimis de causis, ut omnibus notum est, migrare solebat. Nemo etiam eo jure, quod passim obruditur, uti posse intelligitur, quod naturali æquitate, quod positivis legibus tum communibus, tum etiam particularibus sublatum esse constat ex præcedentibus numeris I. II. III. & IV.

IX. Denique quod ex incolis mediolanensibus ad regiones nostras romano more institutas primis ipsis Quadragesimæ diebus divertentibus, & romani ritus obligationem eo ipso contrahentibus objiciunt aliqui contententes, vicissim incolas regionum finitimarum Mediolanum migrantes ambrosiani privilegii esse debere participes, ut contrariorum eadem ratio, & disciplina esse dicatur; nullius est ponderis. Illi enim in regiones nostras migrantes fiunt transeunter subditi, proindeque ipsarum legibus obstringuntur. Isti solo declinandæ legis animo discedentes legis vinculum secum deferunt. Illi nullis utentes fraudibus legem sequuntur. Isti per fraudulentam discessionem legem conantur eludere. Tamen si eadem esse posse utrorumque conditio in sortiendâ legis obligatione, aut privilegio ejus loci, in quo reperiuntur, si nempe cætera in utrisque sint paria, & fraudibus utrimque cessantibus, veluti si Civis Novariensis ex sufficienti aliquo, prudentique motivo gravium negotiorum tunc temporis necessario gerendorum Mediolanum migraverit, aut certe casu quopiam fortuito, non fraudulento ibidem reperiatur, quo in casu ambrosiani ritus, & privilegii particeps esse posse conceditur; si tamen paria non sint cæte-
ra,

ra, si fraus, & dolus, ut in casu, altera ex parte intercesserit, non est eadem esse debeat utrorumque conditio. Cæteris enim imparibus, alia prorsus esse poterit, aut debebit contrariorum ratio, & disciplina. Atque hoc quidem usque adeo verum est, ut ne ille quidem jejunii obligatione censeretur immunis, qui ut amico Mediolanensi morem gereret, aut scilicet exhiberi solita Mediolani captaret, eo se conferret, quemadmodum viris haud mediocriter eruditus observatum est, cum Ecclesiæ potius in gravi præcipiente, quam amico invitanti, aut animo solatia captare volenti obtemperare teneatur quisquis se christianum magis, quam sæculi, aut deliciarum ejus sectatorem esse meminerit.

Hucusque deducta sunt argumenta, quibus romani ritus homines seu Mediolanum, seu alium quemcumque in locum ambrosiano more institutum migrantes, eoque titulo incuntis jejunii quadragesimalis observantiam declinantes, tanquam reos violatæ legis jejunii, lethali crimine se obstringere probandum susceperam. Præcipua intuper discussa, rejectaque sunt excusationum capita, quibus transfugæ se se tueri, & adhuc invalenscentem alicubi consuetudinem, seu potius corruptelam excusare conantur. Hæc autem quisquis, ut maxime decet, in utrumque paratus paulo accurtiori rei totius discussione pendere, & secum ipse conferre voluerit si modo fortasse jam præconcepta præjudiciorum semina assequendæ veritatis studio posuerit, plane non dubito, quin veritatem ipsam hæcenus propugnatam tandem perspexerit; quod erat in votis.

F I N I S.

